

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Zaringo Badensis

Schöpflin, Johann Daniel

Carolsruhae, 1765

CCLXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

CCLXV.

CHARTA ULRICI CONSTANTIENSIS EPISCOPI, QUAE
FRUCTUS QUARTÆ ECCLESIE IN KILCHEIN AD DIES
VITÆ SUÆ PRÆPOSITO ET CAPITULO S. PETRI BA-
SILIENSI TITULO VENDITIONIS
RELINQUIT.

A N N O M C C C L.

Ex tabulario collegiatae S. Petri Basiliensis.

NOS ULRICUS Dei gratia Episcopus Constantiensis ad Vniuersorum
Notitiam deducimus per præsentes, quod cum nos certis & ra-
tionabilibus de causis ob profectum & utilitatem nostram & Ecclesie no-
stræ Constantiensis ad hoc nos moventibus & inducentibus, fructus quar-
tæ Ecclesie in Kilchein nobis & Ecclesie nostræ Constantiensi pertinen-
tes publicæ Venditioni exponeremus, & majus ac pinguius pretium ho-
norabilis in Christo, Præpositus & Capitulum ecclesie sancti Petri Ba-
siliensis præ ceteris obtulerint, qui ad emptionem dictorum fructuum aspi-
rare videbantur, eisdem Præposito & Capitulo sancti Petri Basiliensis fru-
ctus prædictæ quartæ nobis & dictæ Ecclesie nostræ debitos pro tempore
vitæ nostræ duntaxat justo Venditionis tytulo vendidimus per eos singulis
annis recipiendos & colligendos pro quindecim florenis de florentia bo-
nis & legalibus nobis nomine ecclesie nostræ prædictæ similiter singulis
annis in festo purificationis gloriosæ Virginis Mariæ ex nunc in antea
dandis & sine quouis obstaculo integraliter solvendis damus ipsis plenam

& liberam potestatem colligendi & recipendi fructus prædictos nobis & Ecclesiæ nostræ prædictæ debitos per tempus ante dictum, volentes etiam ut post mortem nostram fructus prædictæ quartæ ad dictam Ecclesiam nostram Constantiensem & successores nostros Episcopos Constantienses qui pro tempore fuerint penitus revertantur. Renunciamus itaque omni Actioni & Exceptioni mediantibus quibus promissa possent ullatenus violari. In cujus rei testimonium Sigillum nostrum Episcopale præsentibus fecimus appendi. Datum Constantiæ Anno Domini millesimo trecentesimo quinquagesimo feria quinta post festum sancti Hylarii Episcopi.



CCLXVI.

CAROLUS IV. IMP. BERTHOLDO EPISCOPO ET
CAPITULO ARGENTINENSI RELUITIONEM ORTENAVIÆ
EX MARCHIONUM BADENSIUM MANIBUS
CONCEDIT.

ANNO MCCCLI.

Ex tabulario Bada-Badensi.

CAROLUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Bohemæ Rex ad univerforum notitiam tenore præsentium volumus pervenire, quod oblata nobis per Venerabilem Berchtoldum Episcopum Argentinensem Principem & nobiles *Fridericum & Rudolphum* fratres, *Marchio-*